

9  
364



QK. 210.

QK. 210. (39)



R E C T O R  
A C A D E M I A E L I P S I E N S I S  
M E M O R I A M  
I N S T A V R A T I O N I S   S A C R O R V M  
O R A T I O N E A N N I V E R S A R I A

DIE   X X I .   O C T O B R I S .   A .   R .   S .   M D C C L V X X I .

I N A E D E P A V L I N A

P I E C E L E B R A N D A M

I N D I C I T .

---

*Vindicatur auctoritas August. Conf. in Libro Concordiae  
editae.*

Я О Т О Я  
А О Д Е М И В Е Л И Т Е Л И Г И  
И Н Е М О Я И  
И Н С Т И Т У Т О В С К И Й С А С Ч И О Н Ы

О П А Т О В И Е А Н Н И В Е R S A T I V



П И Е С Р Е Б Р А Н Д А М

ИЗДАНИЕ

Nouam atque antea prorsus inauditam sententiam nuper in medium protulit Vir admodum Rever. Georgius Gottlieb Weberus Sacrorum apud Vinarienses minister longe meritissimus, quae omnes in admirationem coniiceret, atque persuadere posset horrore et turpi pudore, qui audirent, se in causa admodum graui, exhibita quamuis per tot annos a prudentissimis et doctissimis Viris omni cura et circumspectione, turpiter tamen esse delusos, in re magni momenti, qua et sinceritas professionis fidei et fides adeo ipsa, quin fas ecclesiae contineretur, errasse, et nubem quod aiunt pro luno pro amplexos. Quotquot enim in ecclesia Euangelica inde a tempore renouatorum sacrorum, vixerunt aut Principes aut Doctores hoc sibi firmissime habuere persuasum, Augustanam Confessionem in Libris nostris Symbolicis expressam non diuersam esse ab ea, quae Carolo V. Imperatori in Comitiis Augustanis A. MDXXX. fuerit exhibita. Rationibus grauissimis id stabilitum at quo confirmatum esse, nullique dubitationi expositum, quin ab ipsis aduersariis concessum, omnes haetenus per duorum et quod excurrit seculorum decursum, communi consensu credidere, quicunque in hac re investiganda atque dijudicanda, suam exercuere solertia atque industriam. Sed hos omnes errasse, ignorantiam suam prodidisse confidenter satis pronunciat Clariss. Weberus, cui nimirum soli verum inuenisse datum fuit. Hic enim longe aliam Confessionem Caesari paelectam esse putat, non eam, quam hodie in Libris Symbolicis legimus, sed illam quam Melanchthon Wittebergae A. MDXXXIII edidisset. Hanc veram esse atque genuinam Augustanam Confessionem, hanc adoptandam, nostram reiiciendam omnibus viribus contendit, simulque de occasione sibi data maxime laetatur, qua existimationem Melanchthonis laesam tueri et a falso mutatae Aug. Confessionis criminis liberare possit. Nostram enim potius mutatam illius vero illibatam et ab omni mutatione immunem pro ea habendam esse, quae in Comitiis Augustanis Caesari fuerit exhibita et publice paelecta. Cuius quidem sententiae veritatem et facto quodam illustri confirmare et rationibus vnde

dique conquistis ita demonstrare laborauit, ut omnem omnibus dubitationem exemisse sibi videatur. Celfissima nimirum Princeps Duxis Saxo Vinariensis vidua, quae gloriam immortalem administratione Ducatus sibi peperit, petiit A. MDCCXLVII ab Electore Moguntino, exemplum Aug. Confessionis ab exemplari principe et authenticō ex Archiuo Moguntino descriptum, quod acceptū in Vinariensi Archivo curauit reponendum et afferuandum. Hoc vero exemplum quod typis expressum exhibit Clariss. Weberus, plane non concordat cum eo quod in Libro Concordiae legitur, plane vero in singulis conuenientiis editione Melanchthonis anno MDXXXIII excusa. Hanc itaque veram esse et authenticam Confessionem Caesari traditam atque in Comitiis Augustanis publice praelectam, qui inficias eat, is Webero iudice in clara luce caligare, omnem historiae fidem tollere, quin iniuria afficerē videatur eos quibus in amplissima dignitate et publico munere constitutis adeoque omni fide dignis, nemo facile denegare possit aut velit fidem. Periculoso scilicet est et lubricum de authenticitate exempli descripti et missi dubitare, salua eorum qui miserunt sinceritate atque integritate, quam publice in dubium vocare videatur piaculum. Sed nobis exemplum praeiuit humanissimus Weberus qui cum sibi licere existimauerit ea in dubium vocare, quae ab Electoribus et Principibus superioris aetatis pronunciata et decreta fuerint, nobis quoque concedendum putamus, si nos iure quodam nostro, eodemque forte potiori, facta Virorum illustrium antiquorum cum recentioribus comparantes Principum et Electorum fidem non e scripto nuper demum in lucem protracto, sed e re ipsa tum acta et ab omnibus comprobata aestimemus, neque committamus ut in dubium vocetur tantorum Virorum sinceritas et integritas aut derideatur credulitas et levitas. Neminem profecto latet vtrumque Principem Electorem Brandenburgicum Ioachimum II et Saxoniae Augustum, quo calamnias aduersariorum de mutata Confessione August. efficacius retunderent, eorumque qui pacem concessam, ob hanc mutationem, negligandam esse contenderent, conatus impios eo felicius infringenter, in eo curam impendisse omnem, ut vera immutata et authenticā editio August. Confessionis luci publicae exponeretur. Quod vt obtinerent, adhibuerunt exemplar authenticum in Archiuo Imperii repositum. Ioachimus quidem Brandenburgicus A. MDLXVI. D. Zochium

chium Moguntiam misit, qui sua manu ex archetypo describeret Aug.  
 Confessionem, quod diligentissime et religiose factum esse testimonio  
 eorum confirmatum est, qui instituta descripti exempli cum archetypo  
 comparatione utrumque in singulis verbis conuenire intellexerunt,  
 suamque adeo fidem interposuerunt. Augustus vero Princeps  
 Elector Saxonie ipsum archetypum ex Archiuo imperii ab Electore  
 Moguntino Dresdam missum MDLXXVII summa cum cura, descri-  
 bendum curauit atque conferendum, ita ut omnem de vera et immu-  
 tata August. Confessionis editione in Libro Concordiae MDLXXX  
 denuo exhibita, dubitationem prorsus tolleret. Ad quod confir-  
 mandum aduocare possumus verba praefationis libri Concordiae, quae  
 eo maiorem merentur fidem, quo certius est publica auctoritate con-  
 scriptam esse illam praefationem. Ita enim scribunt ibi Confessores  
 nostri: „Ideo ne adversariorum nostrorum calumniis de ingenio suo  
 „confictis quibus iactant, ne nobis quidem constare, quae sit vera et  
 „genuina illa Augustana Confessio, aliqui se turbari sinant — solam pri-  
 „mam illam Augustanam Confessionem Imperatori Carolo V. anno 1530  
 „pin celeribus illis Comitiis Augustanis exhibitam; solam (dicimus)  
 „nec ullam aliam amplecti nos velle luculenter testamur: cuius exem-  
 „pla in Archiis antecessorum nostrorum excellentis memoriae qui ipsi  
 „Carolo V. in Comitiis illis eam exhibuerunt, reposita, per fide-  
 „digios homines, nequid ad accuratissimas rationes diligentiae in no-  
 „bis desideraretur, cum eo quod Imperatori ipsi exhibitum est, et in  
 „sacri Romani Imperii Archiuo asseruatur, conferri voluimus: et  
 „certi sumus, nostra et Latina et Germanica exempla per omnia sibi  
 „conformi sententia inuicem respondere“. &c. Quis sibi persuadeat  
 in re tam seria et graui, eo quidem tempore quo res in recenti versa-  
 retur memoria, cum vix quinquaquinta anni effluxissent, errorem  
 admittere aut aliis imponere voluisse eos, quorum tanti intererat ut  
 de rei veritate constaret. Quis credat deceptos esse Principes Electo-  
 res ab iis qui nullam inde utilitatem sperare possent imo existimatio-  
 nem et omnem fidem amissuri essent, detecta fraude, quae occultare  
 non posset iis, qui in suis quoque Archiis documenta asseruarent  
 idonea, quibus genuina a corruptis possent discerni? Quis eo pro-  
 grediatur audaciae, ut contendat non bona fide egisse qui cum Prin-  
 cipibus Electoribus exempla communicarent, iis potius imposuisse at-

que eam fraudem ultra ducentos annos latere potuisse occultam? Haec ne minima quidem probabilitatis specie se commendant. At ex eodem Archiuo, qui fieri potuit, ut diuersa prouersus exempla, ante ducentos annos et nostra aetate exhiberentur? Si illa genuina sunt, non item hoc poterit haberi genuinum; si hoc ex authenticis descri- ptum actum est de veritate illorum. Videlicet difficultatem Clariss. Weberus atque fatetur, testimonii rem confici non posse, quibus quippe vtrumque exemplum pro vero et genuino venditetur. Hinc p. 93. alia ingreditur via, qua auctoritatem suo quod defendit exemplo conciliare nititur. E comparatione nimirum Confessionis quae in Concordiae libro extat, facta cum ea quae nuper in lucem prolatas est, nec non ex aliis argumentis historicis hanc iudicat esse preferendam. Quae qualia sint iam videamus. Primum ad diuidicandam exemplorum discrepantium veritatem, excogitauit regulas, quibus instruisti exemplum genuinum et ab exemplari suo diligenter descriptum, secernere possimus a corrupto et interpolato. En primam: Ex duobus diuersis exemplis illud potissimum refert exemplar genuinum, quod exhibit articulos de Votis Monachorum et de potestate Episcoporum magis a Melanchthonne elaboratos. Testis nimirum huius rei perhibetur esse ipse Melanchthon in epistola ad Lutherum data d. 22 Maii 1530. qua Luther qui Confessionem secum communicatam cum approbatione remiserat, ita scribit: „In Apologia quotidie multa mutationes. Locum de Votis quia erat iusto exilio, exenti supposita alia, disputatione eadem de re paulo vberiore. Nunc de potestate clavium etiam dispergo“. At vero negari non potest exemplum ab Auctore laudatum, exhibere illos articulos vberiori oratione, qui conciso sermone et nonnullis omissis leguntur in Libris Symbolicis. Hinc concludit articulos hos ita, ut in prima delineatione a Melanchthonne exarati fuerint, insertos esse in librum Concordiae, eos vero qui magis essent elaborati, de quo ipse Melanchthon, ante quam Caesar tradiderentur, spem fecisset, adeoque eosdem illos, qui in Comitiis Augusti fuerint praelecti, reperiiri in suo quod tantopere laudat exemplo. Quod eo certius affirmari putat, quia in Codice A. C. Spalatinus et duobus aliis in Archiuo Vinariensi, itemque in quinque editionibus a. 1530. impressis omnibus, verba eadem legi opinatur quae in prima ut ait delineatione lecta fuerint a Lutheru et probata. Illa ipsa

ipsa vero verba occurrere in nostra Librorum Symbol. editione. Vnde sole clarius esse arbitratur, nostram editionem esse eam quae cum prima Melanchthonis delineatione, non autem cum elaborato magis atque Caesari tradito exemplo conueniat, hoc potius reperiri in Codice suo quem ipse in lucem produxit. Huic argumentationi tantam ille vim tribuit ut a nemine quidquam contradici possit. Sed esse quae recte contradicantur non dubitamus. Quamius enim concedamus, Confessionem non primis adumbratam lineis, sed magis elaboratam in Comitiis traditam et praelectam fuisse, id tamen a nobis impetrare haut possumus, ut credamus delineationem quandam tantummodo, Electori a Melanchthonie traditam atque ab Electore ad Lutherum eo consilio missam esse, ut assensu suo confirmaret. Primas August. Confessionis lineas non a Melanchthonie sed ab ipso Luthero in articulis Torgauiensibus ductas esse, ipse Princeps Elector in epistola ad Lutherum data d. XI Maii. auctor est. vid. Coelest. Hist. Comit. p. 40. b. Editi sunt hi articuli Torgauenses Lipsiae 1605. 8. cum inscriptione: Martini Lutheri August. Conf. prima delineatio teste Walchii Opp. Luth. T. XVI. p. 44. Quid ergo? an hos articulos, Luthero satis notos, ab Electore missos esse putas? Quod cum in mente cuiquam venire vix possit, alia fingitur et quidem Melanchthonis delineatio, ipsi Electori ignota. Esto, concedamus, quod solemne est multis, Melanchthonem in charta qua articulorum illorum expositionem breuiter adumbrauerit, varia mutasse atque emendasse, quis quaeso Confessionem non studiose elaboratam Electori traditam esse sibi persuadeat? Hoc certe spectabat Elector, ut certo sciret an ea Confessio quae Caesari esset praelegenda a Luthero comprobata esset et confirmata, quod haud obtinuisset, si non elaboratam penitus Confessionem cum Luthero communicasset. Sunt fateor verba Melanchthonis in epistola laudata argumento, mutationem in articulis esse factam, sed non satis clare quo tempore facta sit inde colligitur. Nonne iisdem verbis vti poterat, si indicare velleret, quid hactenus fecisset et cur quae in articulis Torgauiensibus a Luthero breuiter nimis notata erant, vberius exposuisset, non quid in posterum esset facturas, post visam et probatam a Luthero Confessionem. Sed faciles sumus, ponamus a Melanchthonie Confessionem postea immutatam fuisse, nihil tamen profecto de hac mutatione certi potest affirmari nisi ipsam delineata.

delineationem Melanchthonis primam nanciscamus. At ubi est illa delineatio? Extat scilicet in Codice Spalatini, in Codicibus Vinariensisbus, et quinque editionibus anno MDXXX. emissis. Ita quidem satis confidenter pronunciat Weberus, conjectura minus probabili. Spalatini enim Codex mancus est, nec conuenit cum duobus Codicibus Vinariensisbus quos tamen eandem delineationem exhibere affirmat. De quinque editionibus laudatis vnam tantum afferre placuit Auctori Celeb. quam ad exemplum imperfectum nondum a Melanchthonie elaboratum expressam esse sine argumento idoneo opinatur. Verum quidem est eadem verba quae in Codd. Vinar. duobus leguntur, in nostra etiam horum articulorum editione occurrere. Nihil tamen prohibet quominus in iis elaboraram illam et exemplari primo consentientem contineri iudicemus. Accedimus ad regulam secundam p. 136. Eduobus diuersis exemplis, quorum utrumque ex Archivio Imperii petitum esse perhibetur, illud quod in articulis fidei conuenit cum nouem editionibus a Melanchthonie curatis, praferendum est ei quod in iisdem articulis Codicis Spalatini textum exhibet. Hic scilicet, ut antea iam dictum est, primas tantum lineas Confessionis exhibet, illae vero nouem editiones textum elaboratum. Quae antea dixerat de duobus tantum articulis abusus mutatos spectantibus, ea iam ad articulos fidei quoque pertinere eo minus affirmare veretur, quo firmius in testimonio Melanchthonis praesidium sibi paratum invenisse gloriatur. Verba enim in laudata epistola statim sequentia haec leguntur: „Vellem percurrisse articulos fidei, in quibus si nihil putaueris esse vitii reliqua utrumque tractabimus, subinde etiam mutandi sunt, atque ad occasiones accommodandi“. Hos itaque articulos a Melanchthonie mutatos esse inde colligit, nostram vero editionem cum Spalatini Codice exacte conuenire articulis IV. V. VI. XIII. XV. sicut vero quam genuinam praedicat, congruere cum elaborato textu nouem Melanchthonis editionum. Quare nullum omnino dubium superesse putat, hanc nostrae esse praferendam. Ipse Vir Doctiss. huic argumentationi non tantum roboris tribuisse videtur, quantum priori. Probabiliorum hanc sententiam nominat, neque tamen aliam quandam certiorem esse, quin potius neminem esse putat, qui vel hanc infringere possit p. 140. Nobis tamen saltem liceat patere Viri Doctiss. paulisper dubitare. Primum enim e verbis Melanchthonis,

thonis, quae pro sua opinione iactat, non satis certo colligitur; tantam a Melanchthonem articulorum fidei factam esse mutationem, quantam ipse credit aliisque persuadere cupit. Nam Melanchthon in assensu Lutheri acquiescit, ad reliqua tractanda pronus, et dum mutandos esse affirmat, tales quidem esse fatetur, qui mutationem admittant, se ipsum autem eos mutare velle, id quidem non diserte eloquitur, ut taceam illam mutationem de verbis et phrasibus esse intelligendam, non de vberiori tractatione, cuius antea quidem meminerat, nunc vero nullam iniecit mentionem. Quid? quod probabile haud videtur Melanchthonem in epistola ad Lutherum de mutatione eiusmodi esse loquutum, quae non in verbis solum et phrasibus, sed sententiis adeo et totius doctrinae forma futura esset. Hanc nimirum aequo animo Lutherum laturum haud fuisse facile coniicere poterat. Audiamus ipsum Melanchthonem in praefatione Corpori doctrinae Philippico premissa A. 3. in principio paginae lin. 6. ita dicentem: „Nihil mihi sumsi. „Praesentibus Principibus et aliis gubernatoribus et concionatoribus dis- „putatum est ordine de singulis sententiis. Missa est deinde et Luthe- „ro tota forma Confessionis, qui Principibus scripsit, se hanc Con- „fessionem et legisse et probare. Haec ita acta esse Principes et alii „honesti et docti viri adhuc superstites meminerunt. Postea coram „Imperatore Carolo in magna frequentia Principum lecta est haec „Confessio“ etc. Quod testimonio est locupletissimo, et mentem Melanchthonis a mutatione alienam eo quidem tempore fuisse, et eandem Confessionem quae a Lutherio perlecta et probata fuerit Cae- sari exhibitam esse. Iam vero Codicem Spalatini primas tantum line- as exhibere, οποθέσει δελένων perperam pro comperto habet, quod in sequentibus ex conuenientia cunī editione MDXXXI. 4. vberius ostendere laborabimus. Nouem editiones Germanicas, quarum sum- mam in singulis verbis conuenientiam καιτήγον veritatis constituit, tan- tae non sunt auctoritatis, nec tanta in eis occurrit conuenientia \*) ut exinde quidquam contra veram et authenticam editionem concludi possit.

\*) Comparauimus inuicem exem-  
plum Auctoris cum editione anni 1555  
quae inter nouem illas praecipuum  
locum occupat, quamque ex Biblio-

theca Ducali Gothana nobiscum beni-  
gnissime communicatam esse grato  
animo profitemur. Lubet pauca no-  
tare in quibus diffensus appetit.  
B Art.

possit. De prima enim editione haud improbabili conjectura affirmat eam anno MDXXXIII lucem aspexisse, Feuerlinum in Bibl. Symb. n. 214. sequutus. Sed nondum extra omne dubium positum est, quo anno prodierit, quia in ipsa editionis fronte nullus commemoratur annus. Nam ex inscriptione Apologiae huic editioni adiunctae quae per Iustum Ionam ex latino versa dicitur 1533. tuto coniuci nequit, totam editionem eodem anno prodiisse. Miramur sane Theologos Electorales in Colloquio Altenburgensi 1568. editiones Melanchthonis emendatas, vti nominant, defendantes, hanc anni 1533. ignorasse, et tantum earum meminisse quae a. 1538. 40. 41. lucem aspexerint. Secunda editio germanica prodiit anno 1540. 4. quae licet magnas habeat variationes, tamen quoniam in art. X. nihil mutat, non eodem loco quo proprie sic dicta variata latina est ponenda. Notum est in Colloquio Wormatiensi A. MDXLI. d. 14 Ian. quo die initium fuit colloquii quod Eccius cum Melanchthonie instituit, Eccium inter alia in praequo hoc reprehendisse; quod exemplum Aug. Confessionis a Protestantibus in hoc Conuentu exhibutum discreparet ab illis quae Augustae 1530 tradita fuissent. Cui tunc Melanchthon respondit: Rerum eandem esse sententiam, et si quaedam in posteriori editione mitigata vel explicatoria sint. Qua quidem in responsione ipse Melanchthon mutationem concedit, nec eam quae 1540 edita fuit Confessionem pro eodem quod 1530. Augustae exhibutum est agnoscere voluit exemplo. Cui testimonio maiorem omnino fidem tribuimus quam Webero, qui ipsi Melanchthoni contradicit. Deinde sequuta est

Art. II. in edit. 1555. leguntur verba in Sünden empfangen und geboren werden quae in exemplo Aut. defunt Art. IV. omissa sunt verba ledig machen, sondern sind que in edit. 1555. leguntur In art. Von Ebestand der Priester. locus extat, sex linearum, quem frustra quae fueris in edit. 1555. Art. Von der Beichte, ex. A. legit dass die Beichte nicht die Schrift geboren in ed. 1555. nicht durch die Schrift geboren. Art. seq. von Unterschied der Speise A. vor Gott nicht fromm, ed. 1555. für

Gott nicht gerecht, eod. art. A. Col 28. ed. 1555. Col. 2 Art. von Closter Gelübren omittit ex. A. verbum geschehen quod. extat in ed. 1555. Art. v. der Bischöfe Gewalt ex. A. sehr unfreilich quod in marg. mutauit unschicklich sed in ed. 1555 occurrit sehr schädlich eod. Art. ex. A. dass wir geschäzt worden. ed. 1555. dass wir gerecht geschäzt worden. porro, wie im A. T. Ceremonie nötig gewesen ed. 1555. wie in A. T. Cer. von Gott geordnet sind. En conuenientiam in singulis verbis iactatam.

est tertia editio 1540. 8. quarta 1555. 4. quinta 1556. 8. sexta 1558.  
 8. septima 1558. 4. octaua extat in T. IX. opp. Luth. Wittenberg.  
 apud Io. Lufft. 1557. noua in Corpore Doctr. Philippico 1560. Sed  
 tantum abest ut ex harum editionum consensione quidquam roboris  
 accipiat sententia Viri Clariss. vt potius nobis ad eam impugnandam  
 et euertendam firmissima suppeditet arma. Scilicet ob laudatam illam  
 in singulis conuenientiam negari nequit, illud quod authenticum ipse  
 putat exemplum plane consentire cum editione a. 1540. Hanc vero  
 eandem illam esse quam pro vera agnoscere noluero Confessores, no-  
 runt omnes qui illius temporis historiam non prorsus ignorant, cuius  
 rei firmandae causa, testimonia paulo post afferemus. Restat tertia  
 regula, p. 141. E duobus exemplis August. Confessionis ab authen-  
 tico exemplari descriptis, si quidem ex testimonii decerni vix possit  
 utrum alteri sit preferendum, illud quod cum nouem editionibus  
 Melanchthonis conuenit merito anteponitur illi quod cum nulla pror-  
 sus Melanchthonis editione conspirat. Miramur ea quae antea dicta  
 sunt, hic denuo repetita esse, atque eo magis miramur quod cum  
 nulla prorsus Melanchthonis editione consentire dicat nostrum exem-  
 plum, cum tamen eam quae 1531. 4. impressa est editionem habeat  
 consentientem. Sed missis his regulis quibus omnem in eligendo ve-  
 ro exemplo errorem evitari putat, demonstrationem adgreditur hi-  
 storicam, qua quippe omnis ex animo dubitantis euellendus sit scrupu-  
 lus et manifeste appareat antiquos illos Archiui Imperialis Curato-  
 res non bona fide egisse, recentiores vero nostra aetate viuentes mul-  
 to meliori. In quo tutiori sane via se ingredi posse videt, si eos ac-  
 cusat quibus mors omnem bonae suae famae defendendae eripuerit  
 facultatem. Nobis vero non contigit esse tam felicibus cum supersti-  
 tes sint ii, quorum famam impune laedere vereamur. Neque tamen  
 nos sumus ii; qui de honore aliorum quidquam detrahere audeamus,  
 curabimus potius ut salua existimatione recentiorum, antiquiores ab  
 iniuria et suspitione malae fidei liberemus. Audiamus igitur qualis  
 demonstrationem historicam instituere Viro Doctiss. placuerit. Fun-  
 damenti loco ponit p. 145. luce clariss esse, duplex extare exem-  
 plum in Archiuo Imperiali, quorum cum unum tantum esse haberique  
 possit authenticum, alterum falso pro authenticis habitum esse contendit.  
 Verum nimis et authenticum Codicem singulari Volumine in

alio

B. 2

forma

forma quarta minori asseruatum esse, nigro corio inuolutum. Aliud vero exemplum inueniri in aduersariis sive Protocollo Imperii quod continet acta Comitiorum. Hoc exemplum quod in aduersariis legeretur, non conuenire cum authentico, magnam potius in eo deprehendi ab illo discrepantiam. Atque id ipsum esse quod cum Principibus Electoribus Brandenburgico et Saxonico communicaerint eius temporis Curatores Archiu. Ab archetypo vero descriptum esse illud quod cum Principe Saxo-Vinariensi communicarint nostrae aetatis Curatores exemplum. Hoc itaque auctoritate et fide superare illud exemplum quod in Libris nostris Symbolicis legimus extra omnem dubitationem positum esse arbitratur. Quasi vero in Archiu imperiali ipse praesens omnia oculis lustrasset et a consiliis suis set iis quibus ius et potestas concessa est communicandi cum aliis *zeum* in Archiu latentia, ita secure et confidenter hanc item dirimit. Veniam tamen impetrabimus si hypotheses ex ingenio satis foecundo natas non ut oracula veneremur, potius omnino improbemus. Fac enim, quod tamen nobis quidem nondum probauit, duplex asseruari exemplum August. Confessionis in Archiu Imperiali, tantum tamen inter archetypum et illud quod in Protocollo legitur exemplum dissensum esse, quantum inter exemplum Principi Saxo Vinariensi missum, et editionem in Libro Concordiae expressam, id quidem est quod negamus et pernegamus. Prouocamus ad omnium locorum iudicium et in iudicando auctoritatem. Vnanimi hi consenserunt confirmabunt, omnem Actorum fidem nisi conuenientia Protocolli cum iis quae acta sunt, et nisi ipsa quae dicunt Originalia actis inferantur, Copias tamen ut iidem dicunt vidimatas in illis reperi, de qua cum archetypo adcurata concordia nemo dubitare debeat. Quod si in Actis priuatorum ita vsu venire solet, quis quae sibi persuaderat eandem curam et diligentiam in Actis publicis tanti momenti esse negligat et culpam nullo modo defendendam esse admissam ab iis, qui eo quidem tempore Acta Comitiorum ita sive negligenter sive fraudulenter confecerint. Sensit Vir Doctiss, conjecturae suae audaciam cui quiuis harum rerum non plene rudis assensum suum dengare tenetur. Ipse enim fatetur p. 145. Confessionem non ita ut a sincero Imperii Protocollo fieri debuisse ex authentico exemplari descriptam esse, sed insigni et notabili differentia in omnibus fere articulis

eulis ab exemplari archetypo dissentire. Cuius differentiae probandae onus cum in se suscepere, quomodo sustinuerit cum facultas inspiciendi ei nulla fuerit concessa, age videamus. Narrat nimur quae acciderunt B. Pfaffio 1729. eo consilio Moguntiam profecto, ut authentico August. Confessionis exemplo potiretur, quo meliorem eius editionem curare posset. Pfaffius enim ibi responsum tulit, exemplum Carolo V. traditum, non amplius in Archivo Imperiali inueniri, apographum vero quod cum Principibus Electoribus Brandenburgico et Saxonico communicatum fuerit ex authentico Protocollo transcriptum fuisse. Quatuor sunt quae ex hac narratione deriuat consecratio quibus argumentationem suam superstruxit. 1) in Protocollo Imperii de Actis Comitiorum exemplar primum August. Confessionis Caesari exhibitae non deprehenditur. 2) Protocollo Imperii non nisi exemplum Confessionis ex illo descriptum continet; 3) Electores Brandenburgicus et Saxonius exempla e Protocollo descripta acceperunt, 4) Exemplum authenticum perii. Sed hoc ultimum in dubium ipse vocat et vocare omnino debebat, nisi totam caussam prodere veller, dum praetextu hoc vsos esse affirmat, qui Pfaffii petitioni satisfacere haud consultum duxerint. Quo quidem ipse dubiam reddit totam illam responzionem. Neque ex illis quae Pfaffio responsa sunt haec consecratio recte deriuari, neque si recte deriuata essent, quidquam inde concludi posse quod ad hanc nostram caussam pertinet, existimamus. Primum enim et secundum consecarium, siquidem Curatores Archivii falsa praetexerunt, minime inde elici possunt, Tertium historiae repugnat. Elector enim Brandenburgicus D. Zochium Moguntiam misit ibique ex authentico exemplari Confessionem describi iussit; Saxonie vero Electori non apographum sed ipsum authenticum missum est, quod differerit non potuit Clariss. Weberus p. 66. 67. 70. Sed etiamsi haec consecratio omniae responso illo Curatorum Archivii recte essent deducta, minime tamen inde erui posse puto quod hic erat demonstrandum. Demonstrandum scilicet erat exemplum Protocolli diversum esse ab exemplari primo, et ut omni ambiguitate careret disputatio id etiam erat ostendendum, non numero sed re ipsa differre haec duo exempla ita nimur, ut qui in protocollo breviores extarent articuli, in exemplari authenticō magis elaborati legerentur. Hanc

differentiam in qua cardo rei vertitur minime ostendit, nec nisi forte id tantum quod nemini negare vムquam in mentem venit, eam quae in Protocollo legeretur Confessionem numero differre ab ea quae singulari Volumine authenticum exemplar contineret. Illam esse exemplum ab hoc descriptum, quam dicere solent Copiam. Aut nihil intelligo aut Copia inest in verbis singulis ad curate et diligenter ab exemplari suo descriptis. Quo enim iure contra omniem loquendi usum Copiam dixeris quae multa alia, omissis plurimis, reseculis totis paginis referat. Hac proposito significatione nemo haec tenus hoc vocabulum adhibuit, nec sic ii adhibuerunt qui hanc dubitarunt Protocollum nominare authenticum, quod proposito omnem authenticationem amitteret si eiusmodi Copiam contineret. Qui itaque concedet Copiam exemplaris primi in Protocollo extitisse is fateatur necesse est, non talem esse differentiam inter haec duo exempla qualem Vir Clariss. suscepit demonstrandam. Posito itaque sed non concessio quod  $\wp\pi\theta\epsilon\tau\epsilon\iota\delta\beta\lambda\epsilon\nu\omega$  pro explorato haberet, Principes Electores exemplum e Protocollo descriptum accepisse, illud ipsum tamen exemplum in singulis conuenire debuit cum primo exemplari, quippe cui adcurate debebat respondere exemplum Protocolli e quo fuit descriptum. Quaecunque enim in codem tertio conueniunt ea inter se conuenire est axioma omni dubitatione maius. Magno sane apparatu nihil egit qui non nisi numero diuersa exempla ostendit, demonstraturus tantam inter exemplum primum et Protocolli esse discrepantiam, quanta inter Confessionem Aug. descriptam missamque Principi Saxo Vinar. 1567. et nostram in Libris Symbolis editam. Nec melius ei successit ratio, qua demonstrare conatur exemplum quod Principi Celsiss. fuerit transmissum ex exemplari authentico in Archiuo Imperii assertuato descriptum esse. Nititur testimonio Archiuarii qui in litteris p. 84 laudatis disertis verbis dicat esse apagaphum authenticum archetypi. Sed in ipsa subscriptione subiuncta editioni August. Confessionis legimus haec verba: *Dass die vorstehende Abschrift mit dem in dem Churfürstl. Maynzischen Archiv verwahrlich aufbehaltenen exemplari von Wort zu Wort gleichlautend sey bescheinige etc.* In iis qui haec auctoritate suo confirmant, primo loco ipse Illustris Archiarius fidem suam interposuit. Scrupulum iniecit, quod de exemplari, cuius vocabuli significatio valde est ambigua, tantum loquantur, originalis vero siue  
arche-

archetypi nullam mentionem faciant, testes nobis quidem omni fide dignissimi. Exemplum scilicet eiusmodi in Archiuo inueniri atque hoc exemplum nominari posse originale non negamus, quatenus nimirum aliud exemplum inde descriptum est, sed de eo quaeritur, an idem illud sit exemplum quod Caesari in Comitiis praelectum, traditum et tunc temporis in Archiuo repositum fuerit. De eo valde dubitamus. Aluit ipse Vir Clariss. nostram dubitationem. Cupidus scilicet fuit p. 83. 84. cognoscendi formam exempli illius e quo suum fuerit transcriptum, petuit ab Illustri Archiuario per amicum ut eius rei notitiam sibi perscriberet. Sed hoc ille tulit responsum: hanc notitiam ab eo non esse expectandam, qui iuramento prohibeatur arcana Archii euulgare, impetrandam esse veniam ab ipso Electore quo salva conscientia ad quaesita respondere liceat? Quid magis miremur, an illam sciendi cupiditatem, an hanc eius explendae recusationem? Quomodo enim illa cupiditate incendi poterat is, cui forma externa Voluminis in quo archetypum contineretur optime esset perspecta, adeo ut eam diligenter descriperit p. 145. Aut obliuiosus tum erat, aut dubitabat ipse de veritate exempli sui et eius consensu cum Munguntino. Nec coniectura assequi possumus, cur exempli describendi facultate non denegata, notitia ipsius Codicis fuisset deneganda. Si quid conisciendo valemus non ex authentico cxemplari sed ex alio quoquis Codice descriptum fuit exemplum Vinariense. Dicam quod sentio. Illud exemplum quod iactat ex authentico esse descriptum, plane et quoad singula verba consentit cum ea editione quae 1540. prodiit quam ad manus habuimus et sedulo comparauiimus. Animus nobis erat haec perspicue docere, sed otium nobis fecit Maxime Rever. Panzerus in examine quod nuper instituit et publici iuris fecit. Vnicum hoc adiicere liceat ne frustraneum prorsus laborem in comparando suscepisse reperiatur. Art. II. post verba *dass man (nach) dem Fall Ade alle Menschen so natürlich geboren werden* omissa sunt in noua editione quae in illa anni 1540 ieguntur *in Sünden empfangen und geboren werden*, quae verba et in ed. 1555 et in Corpore doctr. Philippico 1560. extant. Sed ecce opportune se nobis obtulit Vir Clariss. Arndius Doctor nostrarae Academiae meritissimus, qui nobis in obscuritate caligantibus lucem affudit, qua tenebris discussis omnis omnino dubitatio euanesceret. Gratulamur nobis ergo de teste av-

ténty

tōrry et candido, cui in itinere 1777. Moguntiae facultas adeundi Archium Imperii fuit concessa. Hic oculis lustrauit Volumen e quo exemplum Vinariense esset desumtum. Sed illud fuit auctore Clar. Arndio Codex non MS. sed impressus. Quod si dubio caret, tota res est confecta. Quis enim impressum Codicem pro exemplo Caesari tradito venditet? Certiores iam faſti nulli dubitamus exemplum editionis 1540 in Archiuo Imperii aſſeruari atque ex eo summa cum cura apographum faſtū Vinariam esse transmissum lubentissime concedimus. At vero hoc a nobis impetrare non possumus, vt pro exempla in Comitiis p̄aelecto et Caesari exhibito agnoscamus. \*) Quod cur tantopere negemus rationes sat graues nobis suppetunt paucis adhuc exponendae. Ipſe Melanchthon A. MDXXXI. Confessionem Aug. latinam et Germanicam edidit impressam per Georgium Rhau cuius Celeb. Weberus mentionem fecit p. 29. et utramque uno Volumine comprehensam, adeoque coniunctam unum opus efficere docet. Huic editionis primariae fidem et integratatem testimonio suo ipſe Melanchthon confirmat, occasionem exponens, qua eam curauerit, in p̄aefatione. „Haec enim ait Confessio prorsus ignorantibus Principibus qui eam Caesari exhibuerunt, ab auro aliquo typographo ante duos menses publicata est et ita excusa ut multis in locis appareat, de industria depravatam esse.“ Paucis dein interieclis hanc editionem ita describit: „Quare nunc emittimus probe et diligenter descriptam Confessionem ex exemplari bonae fidei.“ Quis quæſo tam iniquus erit et iniurius in ipsum Melanchthonem, vt his iphius verbis affensum denegare eumque non genuinam integrum et Celsari traditam edidisse sed corruptam multilam et interpolatam in qua plurima deſſent quae Caesari p̄aede fuiffent defendere audeat? Opponit itaque hic Melanchthon editioni depravatae suam, quam adeo ab omni depravatione liberam esse contendit et probe ac diligenter ab exemplari bonae fidei descriptam esse aſſuerat. — Impie illi honori summi Viri detrahunt qui mendaci

cii

\*) Dum haec scribimus legimus in Relat. Witteb. de libris nouis, ipsius V. Clar. professionem se vidisse exemplum in Archiuo quod peſtati ex mutationi non respondisset. Ceterum iis quæ in scripto suo proposuerat adhuc inhaerere videtur.

cii accusant quem hac quidem in causa veritatis testem omnes pie venerantur. Sed nonnulli hic inuenisse putant quae obiciant. Arripunt scilicet verba p. 37. 38. ex exemplari bonae fidei, quae detorquendo intelligunt, quasi Melanchthon Confessionem non ita ut ipse in chartam coniecerit, nec ad fidem archetypi, sed cum exemplo alioquin satis bono convehientem exprimi iussit. In quo eum non modo erroris arguunt, sed etiam variis quaestionibus ludunt. Cur non ex ipsa charta ediderit in qua eam conscripsisset? An forte non ad manus fuerit? An forte cum amico communicauerit? Quae quo consilio dici possint ab iis qui speciem defensorum ac vindicum nominis Melanchthoniani prae se ferunt, jam non inquirimus. Nobis certe nisi omni intelligendi facultate destituti sumus, exemplar bonae fidei de nullo alio est explicandum nisi de tali, quod maximam cum archetypo habuerit conuenientiam; de quo profecto nemo melius ipso Melanchthonem poterat iudicare. Quid vero si Melanchthon intelligi velit ipsam eam chartam in quam Confessionem conscriperat? Certe si exemplar quod excudendum curauit cum verbis ab eo exaratis non adcurate satis conueniebat, qua fronte bonae fidei exemplar nominari potuerit, prorsus ignoramus. In hac porto editione Confessionem fidei eam expressam esse, quae Carolo V. Caesari in Comitiis fuerit tradita inscriptio docet. Cum vero Caesari non Confessio ea, quae primis luceis fuerit adumbrata, sed elaborata, tradita sit; sole clarius patet etiam a Melanchthonem elaboratam atque eam editam esse 1531. 4. Confessionem quae ultimam limam fuerit experta. At vero cum hac editione optime conspirant quae Weberus e Codice Spalatini nec non e duobus Codd. Archivii Vinar. attulit p. 101. conspirant editiones Germanicae quinque anni 1530. quas p. 121 — 23. recensuit, quarum quaelibet et inscriptio testatur, eam Confessionem exhibet, quae Caesari est tradita. Hinc ex consensu codicium cum editione Melanchthonis 1531. 4. concludimus, hos ipsos Codices non vti quidem ille persuadere nobis cupit primam solum delineationem, sed ipsam illam quae Caesari exhibita est continere Confessionem. Hanc editionem principem sequutae sunt aliae Wittebergenses Germanicae 1531. 32. quas Feuerlinus in Biblioth. Symbi recensuit n. 207. 209. 211. 213. quarum conuenientia cum editione Melanchthonis prima negari nequit nec a Viro Clariss. negatur. Ne tamen inde argumentum pro authenticitate aug-  
-611/III  
C  
ritate

titate illius editionis peti possit, dicit: non in merito dubitari an haec eo quidem consilio fuerint procuratae ut primae editionis auctoritatem stabilirent. Multis nimurum demonstrare nictitur, in duabus editionibus Melanchthonem nullam curam impendisse neque easdem Wittebergae lucem aspexisse sed vnam quidem Norimbergae alteram vero Erfurti. Quo quidem efficere conatur ipsum Melanchthonem ad confirmandam suam editionem omnium primam nihil omnino egisse, nec eam adhibuisse curam in ejus auctoritate defendenda, quam in alia ab hac diuersa adhibueret. Sed omnis illa disputatio tangit tantum editiones a Feuerlino n. 211. 213. indicatas, intactas relinquit quas idem Feuerlinus n. 207. 209. recensuit. Nec opus esse videtur, ut ipsum Melanchthonem earum editionum curatorem agnoscamus. Satis est eandem quam ipse emiserat, typis denua fuisse expressam, nec quidquam monuisse Melanchthonem aut cauisse, ne quam ipse pro authenticā non haberet ab aliis authentica haberetur. Melanchthon sive iubente et curante sive consentiente eae prodierunt quoconque demum loco prodierint. Sufficit hoc ut argumentum inde petamus, eo quidem tempore hanc pro vera et genuina editione I A. C. non dissentiente Melanchthonem habitam esse, idque eo certius a nobis affirmatur, quo minus a Viro Clariss. argumentis confirmari potest, eas quas ipse nobis opponit editiones nouem, omnes Melanchthonem auctore ac curatore typis fuisse expressas. Huic editioni primariae 1531. 4. in Conuentu Smalcaldico 1537. Principes et Ordines protestantes denuo subscripserunt, et hac subscriptione authenticā auctoritatem tribuerunt. Interfuit ipse Melanchthon huic Conuentui, qui et ipse subscribens non potuit non confirmare hoc testimonio suo grauissimo veram esse et genuinam quam omnes communi consensu iudicarunt subscriptione dignam. Dubitare quidem nos iubet V. Cl. an haec non alia subscriptione fuerit ornata, atque spem nobis facit quamvis dubiam p. 40. fore ut quod nunc sieri non possit alio forte tempore ostendatur, non editionem anni 1531. 4. sed aliam 1533. 9. quam ipse genuinam venditat, in Smalcaldico Conuentu subscriptione nominum esse stabilitam. In quo sibi ipsi non fatis constare videtur. Neque enim inficias ire potest eodem anno 1537. Electorem Saxoniae indignatum esse, quod Melanchthon haud dubitauerit in nonnullis articulis mutare Confessionem eamque mutatam edere. Quis igitur sibi persuadeat ipsam illam

muta-

mutatam Confessionem, quae indignationem Principi excitatuerit, paulo post antiquae immuratae praelatam et ab ipso Electore subscriptam esse. Huic etiam editioni primariae in Conuentu Numburgensi 1561. Principes & Ordines Protestantes denuo subscripsisse ita dubio caret ut nec ab ipso V. Cl. in dubium potuerit vocari p. 61. Conqueritur enim et non satis mirari potest negligentiam eorum temporum et ignorantiam cuius culpam in eos coniicit, qui editionem pro authentica habuerint quam reiicere et editionem potius 1533. impressam recipere debuissent. Sed veremur ne suam inscitiam ipse prodat, qui alias ignorantiae et negligentiae accusat. Quamuis enim nulla editionis quae 1533. prodierit in hoc Conuentu mentio facta sit, tamen editiones annis 1540. 42. emissas tum non ignotas fuisse, neque eas reiiciendas existimasse Ordines quosdam congregatos, praefatio docet ad Imperatorem Ferdinandum cum ipsa Aug. Conf. missa cf. *Hoen Historie des von den Euangelischen Ständen wegen anderweitiger Unterschreibung der ungeänderten Augsp. Conf. gehaltenen Convents Frkf. u. Leipzig 1704.* Neque tamen dum has editiones retinendas iudicarunt, eas pro immunitatis habuere, innoxias tantum et explicationis causa factas esse censuerunt. Quamquam non omnes idem hoc iudicarunt. Dux enim Saxo Vinariensis dissensum suum adeo declarauit ut e Conuentu potius discedere quam praefationem illam assensu suo comprobare mallet. Hanc denique editionem anni 1531. 4. eo quidem tempore quo Elector Saxoniae Augustus consilium edendae Concordiae caperet, pro authentica habitam esse ipse testatur p. 69. In quo Chemnitium inuenit sibi ad stipulandum, cum iam in eo erant Confessores ut eam libro Concordiae insererent quemadmodum eadem suadente eodem Chemnitio paucis ante annis in Corpus Iulium fuerat recepta. Sed orta dubitatione et perturbatione Elector quo omnem rescinderet dubitandi occasionem, petitio ex Archiuo Imperiali exemplari archetypo et instituta diligenti comparatione, eam in Libro Concordiae Confessionem curauit edendam, quae penitus cum authentico conueniret. Rem totam Lysero duce enarrat, cuius tamen narrationi fidem denegare et quae de editione 1531. 8. dixit inter errores et mendacia referre non dubitat. Iam vero Lyseri defensionem suscipere nostri non est instituti nec eam libelli nostri limites capiunt. Huic vero editioni tot testimonii comprobatae omnem derogare auctoritatem satagit Vic. Clariss. ei aliam

anni 1533. 8. anteponendam esse statuit. Hanc authenticam, hanc  
 Caesari paelegiam omnibus viribus contendit ob conuenientiam scili-  
 cer quae inter hanc editionem et Apographum ex Archiuo Imperii  
 1767. missum deprehenditur. Audiamus igitur argumenta, quibus  
 praerogatiua huius editionis ostendere conetur. Primum argumen-  
 tum desumit et tot editionibus Confessionis Aug. a Melanchthonem  
 inde ab anno 1533. procuratis quas omnes sine vila mutatione cum  
 eadem conuenientes emiserit. Hinc colligit ipsum Melanchthonem  
 hanc editionem pro vera et genuina agnouisse eam vero 1531. 4.  
 neglexisse. Gloriatur de hoc argumento p. 41. a se primum inuenito.  
 Nec inuidemus hanc gloriolam Auctori, quam tamen firmam fore et  
 diu duraturam eo magis dubitamus, quo minorem ad conuincendum  
 vim nos quidem sensisse fatemur. Omnia redeunt ad authentiam edi-  
 tionis 1533. 8. quae fundamenti loco ponitur; quae si ipsa non est  
 genuina, minime ob alias quae eam repetunt, recte hanc laudem fe-  
 ret. Nam quod dicit e repetita toties a Melanchthonem eadem edi-  
 tione, liquido apparere hanc ipsam ab eo pro vera et genuina esse  
 habitam nullam omnino vim habere potest. Semper enim iure dubi-  
 tatur an illa editoris opinio vera sit et ita certa ut alij eam recte se-  
 quantur. Quid vero si ipse editor sibi non semper constiterit, si post  
 ea aliam diuersam subscriptferit, quod Melanchthonem fecisse supra  
 docuimus, an inde firmum de sententia quadam certa editoris judi-  
 cium? Sed omnis omnino haec argumentatio vana est et falsa. To-  
 tius enim argumenti robur in eo cernitur, quod omnes illae editio-  
 nes auctore Melanchthonem fuerint emissae, nulla saltem eo inscio et in-  
 vito, idque eo consilio ut primae editioni 1533. 8. auctoritas conci-  
 liaretur ea, qua sola pro genuina haberi deberet, omnis alia quamvis  
 eodem curante aut iubente emissa et adeo laudibus ab eo ornata non  
 judicetur authentica et genuina. Hoc quidem consilium Melanch-  
 thoni tribuit Vir Clar. nullis vero certis rationibus confirmat. Nul-  
 lum enim exrat hac de re testimonium nec Melanchthonis nec aliis  
 fide digni scriptoris. Extant quidem octo editions. Ali vero ut  
 fieri solet typographus eas tantum prelo subiecerit inscio et incon-  
 sulto Melanchthonem, an ipso procurante, id quidem ex iisdem minime  
 patet. Fac vero nullas in iis edendis Melanchthonis fuisse partes,  
 nonne hinc omnia euangelunt quae de consilio Melanchthonis exco-  
 gita-

gitata erant argumenta? Prouocat quidem ad testimonium Melanchthonis in praefatione praemissa Corpori doctr. Philippico Germanice 1560. edito p. 60. Sed ipsa haec praefationis verba nil plane auctoritatis tribuunt illi quae in corpore exhibetur editioni. Narrat hic Melanchthon quae acta sunt in Comitiis Aug. et verba: *Diese confession etc. quibus maxime nititur Vir Clar. non diserte illam indicant quae in corpore legitur, sed generatim eam quam in Comitiis Caesari Confessores exhibuerunt.* Quod ex verbis statim sequentibus luculentter patet: „Dieses alles ist erzählt das man wisse, das ich mich „nicht selb aus eignen Fürwiz dieser Sachen unterstanden habe, das „auch diese Werk (Conf. et repert. Conf.) durch andere christliche ver- „stendige Menner zuvor gelesen und approbiert sind ehe sie in Druck geben „find.“ Argumentum tandem etiam inuenit in editione 1555. per Georgii Rhauii heredes quaternis facta, in cuius inscriptione verba extant: *und durch den Durchlauchtigsten, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn Augustum Herzogen zu Sachsen Churfürsten etc. von wegen der Visitation ietzt wieder in Druck verordnet.* Inde concludit p. 61. hanc editionem quoniam qua singula verba cum editione 1533. conueniat (quod negauimus supra not. \* p. 9.) confirmatam esse publica auctoritate et iusu Electoris in ecclesiis et scholas introductam, et in pace religiosa Augustae Vindelicorum eodem anno facta, fundamenti loco positam, tantam obtinuisse auctoritatem ut reliqui Electores atque Ordines in suis prouinciis et ditionibus nullam nisi hanc agnoverint pro vera et genuina. Lubenter hoc damus iusu Electoris visitationem ecclesiarum habitam esse atque eadem de causa Confessionem Aug. denuo typis repetitam, an vero iusu Electoris de editione 1533. 8. denuo typis exprimenda tum quid fuerit sancitum, dubitamus. Nam in ipsis de instituenda visitatione litteris nihil ea de re reperitur. Nec probabile est Electorem si editionem haec tenus visitatam et publice probatam abrogare voluisse quod tamen sine contentione et motibus fieri vix poterat, nullum omnino huius rei indicium facisse, nullamque mutationis quae in ecclesia esset tanti momenti rationem afferre voluisse. Contra omnino probabilius est eos qui se iam tum eo tempore Philippicos nominarent hac visitatione esse abusos, ut eam quam meliorem ipsi iudicarent editionem ecclesiae obruderent. Ex inscriptione libri, vbi alia documenta historica de-

sunt quis extorqueat hanc Confessionis editionem in omnes Scholas et ecclesias esse introductam? Frustra sane e sola inscriptione conjectura historia eius temporis facile conuellitur. Obstat enim Conuentus Numburgensis 1561 in quo fatente Viro Clar. illa anni 1531. 4. ab Electore et Ordinibus subscripta est. Obstat editio Concordiae ab ipso Electore Augusto procurata in qua A. C. non secundum edit. a. 1533. 8. exhibetur. Quod qui fieri potuisse si idem Elector de introducenda hac editione olim quid iussisset, nisi forte Elector quam 1555. habuit sententiam, eam 1561 et 1580 profrus abiecit aut mutauit et emendauit. At mirum est ne minimum quidem huius mutatae sententiae vestigium alicubi extare, ut adeo recte concludi posset nullum eiusmodi Electoris edictum olim vñquam fuisse. Verum quidem est in praefatione illa controversa quae in Conuentu Numburgensi conscripta et imperatori. Ferdinando misla occurrere verba p. 50. „Es ist aber „unser Gemüet und Meynung gar nicht, das wir durch diese Wiederho- „lung und Subscription obgemeldeter ersten abgedrukten Confession von „obberürter anderweit. Anno vierzig übergebenen und erkerten Confes- „sion mit dem wenigsten wollen abweichen, oder uns davon fueren lassen – „dazu wir denn desto mehr bewogen weil solche erkerte Confession so „Anno vierzig und zwey und vierzig in Druk gegeben itzundt der „mehrere Theil bey unsren Kirchen und Schuelen im Gebrauch.“ Sed ipsa haec verba confirmingant magis sententiam nostram quam labefactant. Ut enim silentio praeterem nullam in iis mentionem factam esse editionis 1533. 8. maior fuit viuo Electore modestia Theologorum, qui dicti sunt Philippici quam nonnullorum qui nostra aetate suas hypotheses illorum dictis probare conantur. Non illi de iusu et edito quodam Principis mentionem faciunt; non publica quadam auctoritate in omnibus ecclesiis et scholis introductam esse dicunt, sed de vsu in maxima parte ecclesiarum et scholarum loquuntur. Quodsi testibus iis quorum fide Vir Clar. vtitur 1561. eius vsus in plerisque tantummodo ecclesiis obtinuit, ipsi hi testes confirmingant nullum omnino Principis editum de vsu eius in omnibus ecclesiis extitisse. Nolumus hoc loco de ipsis præfationis auctoritate disputare, nec querelas Electoris Augusti de fraude qua circumuenitus esset commemorare cf. Defensio pupillae p. 392. 412. Euerfo hoc fundamento corruit etiam id quod ipi superstruxit et sine alio fulcro

fulcro addidit, nempe hanc esse Confessionis editionem, quae in pace Augustana adhibita esset et cui adeo tota illa pax de religione libere exercenda inniteretur. Eam nimurum quam A. 1555. stabiliuere pacem iam 1532 in Comitiis Noribergensibus concesserat Imperator atque Ratisbonae e. a. confirmauerat. A. 1537. Vice Cancellarius Caesaris Matthias Heldus d. 15. Febr. in Conuentu Smalcaldico Eleatoribus et Principibus renunciauit, Caesarem pacem concessam seruaturn. Renouatae sunt haec de pace promissiones a. 1541. 44. 48. in quibus omnibus de pace transactionibus ne cogitari quidem potuir editio Aug. Confess. 1555. tum nondum facta. Quae deinde insequuta est pax Augustana his potissimum inniti quae in Comitiis ante pacta fuerant et decreta nullum est dubium. In quibus cum nulla de A. C. 1555. demum edita mentio fieri potuerit, nec in his eius rationem habitam esse tuto colligimus. Consultum volucre Principes his pacificationibus securitati publicae et ut ob religionis Confessionem nemini molestia crearetur, caverunt quo ipso nec Caesar Aug. Confess. nec nostri Romanae ecclesiae doctrinam probarunt. Nullum quoque extat in tota pacis compositione vestigium eos tantum pro sociis Aug. Confessioni addictis haberi, qui eam quae 1555. edita esset Confessionem pro vera et genuina agnoscere. Verba agunt de Aug. Conf. et eius doctrina in vniuersum: *So sollen die Kayserl Maj. Wir Churfürsten, Fürsten und Stände d. h. Reichs keinen Stand des Reichs wegen der Augsp. Confession und derselbigen Lehre, Religion und Glaubens halben mit der that gewaltssamer Weise überziehen.* Quae quidem verba satis clare docent iis pacem esse concessam qui doctrinam in A. C. expositam profiterentur atque de ea sermonem esse Confessione quae 1530 Caesari fuerit exhibita. Interim ut totidem verbis eandem doctrinam semper proponamus et vel ad minutissima quaeque aut ad ea quae tum nondum satis explicate in ea essent disputata nos adstrictos et obligatos putemus nunquam est praescriptum. Neque enim audiendi sunt ii qui religionem Euangelicam versuta quadam cauillatione aut inepta stultitia ad sola verba Confessionis restringere et coarctare ausi sunt. Tam angustos cancellios augustae et ampliae de rebus diuinis doctrinae ponere, nec Confessoribus nostris 1530 in mentem venit, quod Epilogus Aug. Conf. abunde docet, nec omnibus iis qui pacis consilia 1555. inierunt. In ipsa enim pace Augusta non solum Confessio sed et religio, fides, constitutio ministrorum, ordi-

ordinationum, rituum, et caeremoniarum Ecclesiae iam facta et futura Protestantibus libera relinquitur (*ihnen ganz gelassen*) et omnis Episcoporum potestas et iurisdictio suspenditur. Hinc licet Confessionem variatam et corruptam vel ipsi Euangelici nunquam suam agnoverint, non tamen ea fuit pacis conditio ut si vel latum vnguem ab editione probata discesserint, amitterent pacis fructus. Nec Caesar nec Ordines in paciendo eas respexerunt mutationes quae in verbis Confessionis variisque eiusdem exemplis antea editis fuere, sed ea conditione pacem esse voluere, si summa doctrinae in Confessione proposita nullam pateretur mutationem aut dogmata excogitarentur prorsus contraria et repugnantia iis, quae in Confessione Carolo V. tradita exponerentur. Quapropter et in Conventu Numburgensi 1561. eam Confessionem nostri subscriptere quae ab his mutationibus esset libera, Caesari quoque non anno 1533. aut 1555, sed 1531 excusam transmiserunt. Quae omnia sexto post compositam pacem anno euenire haud potuisseat, si quidem in ipsa pace Auguftana aliud exemplum fundamenti loco positum fuisset. Haec sunt quae nobis, argumenta Viri Clariss. ponderantibus in mentem venerunt. Sed pauca lubet adiicere de fama et existimatione Melanchthonis cuius se vindicem et restitutorem iam agere vel in ipsa libelli inscriptione profitetur. Quod si praestitisset, gratissimum sane fecisset nobis, qui debitam tanto nomini venerationem non nisi cum vita deposituri sumus, dummodo non in defendenda Melanchthonis existimatione de aliorum fama detraxisset. Omnis scilicet quaestio quam in se suscepit dijudicandam Vir Clariss. in eo versatur: an germanicum exemplum Aug. Confessionis a Melanchthonis mutatum sit atque interpolatum? Hoc negat et pernegat, eamque quam variationibus scatentem alii credunt editionem, exprimere authenticum et genuinum exemplum ex Archivo quippe Imperiali Vinarium transmissum, argumentis supra recensitis et ponderatis euincere summo studio laborat. Quo labore honestius defunctus fuisset si calumniarum et mendaciorum summos et graues Viros arguere simulque inscitiae et malitiae accusare p. 8. 9. ei non opus fuisset. Quid enim quaeſo is qui primus omnium sibi datum esse creditit, ut hanc maculam meritis Melanchthonis abſtergeret, in defendenda summi Viri fama egit, quod non omnes libenter concedant, qui animo tranquillo et integro rem

rem reputant. At ipse concessit, quia concedere debuit, quae in aliis ei calumniae et mendacia videntur Concedit enim p. 7. Melanchthonem latinam Confessionem mutasse et iniuria in gratiam Sacramentariorum corrupisse atque huius facti defensionem in se suscipere plane recusat. Negat idem in Germanica editione factum. Atque in eo consentientes habet omnes, qui germanicam Confessionem non quidem in Articulo X. a Melanchthone corruptam, sed in reliquis mutatam esse fatentur, neque tamen ob hanc mutationem iudicant reiiciendam. Hinc nil impedit quo minus et hac in confessione ad consensum Viri Clariss. prouocemus. Cum enim largiatur Confessionem 1531. 4. editam, Melanchthonem agnoscere auctorem, eius vero discrepancia ab editione 1533. 8. sit perquam manifesta, mutationem certe ab ipso Melanchthone factam esse fateatur necesse est. Sed cum etiam ipse hanc mutationem et disreputantiam instituta diligenter comparatione dilucide docuerit, quomodo eos mendaces et calumniatores nominare potuerit qui id tantum modo de Melanchthone dixerint, quod ipse affirmare haud dubitauerit, nobis quidem perspicere haud licuit. Ceterum an in editione a. 1533. 8. eiusque mutationibus sat graibus, nihil omnino dictum sit a Melanchthone, quo obsequeretur iis qui a nobis dissentient, inid inquire nostri non est instituti, nec angustiae libelli nostri nobis permittunt in campum tam latum expatriari. Acquiescimus in sententia Viri S. R. atque in iudicando subtilissimi Goetzii cuius in libello quem opposuit Webero haec sunt verba p. 4. *Ich wusste, dass Melanchthon in dieser Ausgabe in Glaubenssachen nichts geändert, sondern nur einige Artikel weiter ausgeführt &c. &c.* Qui antiquorum Theologorum iudicia desiderant, adeant acta Colloquii Altenburgensis 1568. habitu.

Iam vero nos ad id properamus, cuius causa haec praefationis loco disputauimus. Celebranda sunt sacra eucharistica, quibus pro summo in nos collato per sacrorum instauracionem beneficio gratum animum Deo sumus declaraturi. Gratulamur nobis de hoc laetitiae argumento, quod post luctum Saxonie publicum et Academiae nostrae priuatum solatium afferat suauissimum. Amisimus nuper Principem Celsissimum Carolum Maximilianum atque huius iacturae dolorem cum Patre Patriae ut boni ciues sensimus. Amisimus Ecclesiae nostrae ful-

QK 9g 3364

XXVI

erum, verae doctrinae statorem et instauratae religionis propugnatorem  
*Ernestium*, cuius memoriam grata posteritas et Academia in primis no-  
stra semper pia mente repositam seruabit. Duplicem hanc iacturam iam  
leuamus quod salua nobis adhuc sit ipsa doctrina sub auspiciis diuinis  
maiorum curis et laboribus indefessis instaurata. Hanc nobis ut seruet  
Supremum Numen deuotis precibus contendimus, quas preces ratas  
fore certissime speramus, et in hac nostra laetitia simul vota ardentissi-  
ma nuncupamus pro laetitia et salute Principis Electoris et omnis Do-  
minus Electoralis in qua Par Celsissimum connubio felicissimo nuper iun-  
ctum summa veneratione et piis gratulationibus prosequimur. Ad hanc  
animi nostri deuotionem gratique animi et bene precantis sensum excita-  
bit nos Vir Praenobilissimus Doctissimusque Dominus M. Friedericus  
Henricus Starcke, Lappa Misnicus, ob doctrinæ et morum elegantiam  
maxime commendandus oratione docta et eleganti qua  
nostræ ecclesiae felicitatem in seruanda doctrina Augustanae Confessio-  
nis querendam esse publice demonstrabit. Quem ut Celsissimi Prin-  
cipes, Illustrissimi Comites, Proceres vtriusque rei publicae Grauissi-  
mi Commititonis Generosissimi atque Nobilissimi beneuole audire et  
sacra solemnia præsentia sua ornare haud dedignentur, ea qua decet  
obseruantia humanissime rogamus.

P. P. Dominica XX. post Trinitatis Festum A. R. S. MDCCCLXXXI.

---

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAVEARTHIA.

N.C.

**ULB Halle**


3

005 358 23X





B.I.G.



QK.210.  
QK.210.039



R E C T O R  
A C A D E M I A E L I P S I E N S I S  
M E M O R I A M  
INSTAVRATIONIS SACRORVM

O R A T I O N E A N N I V E R S A R I A

D I E   X X X I .   O C T O B R I S .   A .   R .   S .   M D C C L X X X I .

I N   A E D E   P A V L I N A

P I E   C E L E B R A N D A M

I N D I C I T .

---

*Vindicatur auctoritas Augst. Conf. in Libro Concordiae  
editae.*